



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XXII. De rebus ecclesiae non alienandis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

572 GREGORIVS P. X CONCILIVM RUDOLPHVS I. IMP.
PHILIPPVS III. R. FRANC.

ANNO CHRISTI
1274.

quam per alium quam per Romanum pontificem conferendis, decreuimus taliter moderandum, ut ii ad quos eorumdem beneficiorum & dignitatum spectat collatio, statuto non obstante praedicto, demum post mensem, a die quo dignitates seu beneficia ipsa vacauerint numerandum, ea conferre valeant tantummodo per seipso, vel, ipsis agentibus in remotis, per suos vicarios generales in eorum dicecesibus existentes, quibus id canonice sit commissum.

XXII.

De rebus ecclesiæ non alienandis.

Gregorius decimus in generali Concilio Lugdunensi. Hoc consultissimo prohibemus edicto, vniuersos & singulos prælatos ecclesias sibi commissas, bona immobilia, seu iura ipsarum, laicis submittere, subiicere, seu supponere, absque capituli sui consensu, & sedis apostolicæ licentia speciali, non concedendo bona ipsa, vel iura in emphyteosim, seu alias alienando, in forma & casibus a iure permisis, sed constituendo, vel recognoscendo, seu profitendo ab illis ea tamquam a superioribus se tenere, seu ab ipsis eadem aduocando, prout in quibusdam partibus vulgariter dicitur, Auher, vel ipsos patronos, siue aduocatos ecclesiarum, seu bonorum ipsarum perpetuo, aut ad tempus non modicum, statuendo. Contractus autem omnes, etiam iuramenti, pœnæ vel alterius cuiuslibet firmitatis adiectione vallatos, quos de talibus alienationibus, sine huiusmodi licentia & consensu contigerit celebrari, & quidquid

ANNO
CHRISTI
1274.

ex eis fecutum fuerit , decernimus adeo viribus omnino carere , vt nec ius aliquod tribuant , nec præscribendi etiam causam pariant. Et nihilo minus prælatos , qui secus egerint , ipso facto officio & administratione , clericos etiam , qui scientes contra inhibitionem prædictam aliquid esse præsumptum id superiori denuntiare neglexerint , a perceptione beneficiorum , quæ in ecclesia sic grauata obtinent , triennio statuimus esse suspensos. Laici vero qui prælatos vel capitula ecclesiastarum , seu alias personas ecclesiasticas , ad submissiones huiusmodi faciendas hactenus compulerunt , nisi post competentem monitionem , remissa submissione quam per vim vel metum exegerant , ecclesiæ & bona ecclesiastica eis submissa taliter in sua libertate dimittant. Illi etiam qui de cetero prælatos vel personas easdem ad talia facienda compulerint , cuiuscumque sint conditionis aut status , excommunicationis sint sententia innodati. Ex contractibus præterea super præmissis huiusmodi licentia & consensu interuenientibus hactenus initis , vel quos in futurum iniri continget , seu occasione illorum , laici , vltra id quod eis ex natura contractuum ipsorum vel adhibita in illis legge permittitur , aliquid non usurpent. Qui vero secus egerint , nisi legitime moniti ab huiusmodi usurpatione destiterint , restituendo etiam quæ taliter usurparant , eo ipso sententiam excommunicationis incurvant : & extunc ad supponendum terram ipsorum , si opus fuerit , ecclesiastico interdicto libere procedatur.